



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Eruditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Sponsi & sponse collocutio qualis intelligitur, & cur amoris affectio nomine sponsi, & sponsæ exprimitur. Cap. XCVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

amore sapientiae, & praesertim virtutum inuestigandarum, ita cogitatus stare consueuerat, vt per diem naturalem immobilis eisdem vestigijs orare. atq; oculis in locum eundem directis, tanquam quodam secessu mentis, atque animi facti à corpore perseveraret: & Carnales amore Philosophiae tantum cogitationibus inhærebat, quod manum ad cibum ponere obliuisceretur, animæ tantum vita fruens, velut alieno corpore circumdatus: quid igitur faciet Christianus ad illa ineffabilia charitatis indicia contuenda vocatus, quæ Deus multifariè, multisq; modis exhibuit in creatione, recreatione, praeseruatione, reconciliatione? &c. Vnde ait S. Augustinus: O anima mea, si cogitare potes qui & quales in comparatione tui sunt abiecti, qui gratiam, quæ data est tibi, consequi non valebant. Audisti certè ab initio, vsque nunc, quàm multæ generationes hominum transierunt, quæ omnes sine cognitione Dei, & pretio sui sanguinis in interitum æternum delapsæ sunt. Omnibus illis redemptor tuus, amator tuus te prætulit, quando tibi gratiam largitus est, quàm nullus illorum percipere meruit: tu sola præ illis electa es. Et cur illud in te factum sit, nullam præter tui amatoris charitatem aliam causam assignare poteris. Secundò mouetur vis appetitiua inferior, quæ per animam significatur, vt parti superiori conformetur: quia sicut sphaera superior motu suo mouet inferiores, sic voluntas appetitum sensitiuum, vt dicitur, de Anima. Et hoc propter vim amoris, praesertim diuini, mouentis efficaciter ipsam voluntatem, quæ carnalia desipere facit, & amara, laboriosa, ac ardua reddit dulcia, grata, & leuia: adornans amantis faciem in vi concupiscibili, & irascibili, quæ sunt velut genæ ipsius sponsæ. De quibus sponsus ait: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis*, dum scilicet vis concupiscibilis dirigitur, ad purum amorem dilecti, quo desipit omnis inordinata concupiscentia: & irascibilis incenditur ad perfectam imitationem dilecti, qua complectitur etiam dulci affectu quodcumque arduum, amarum opprobriosum, & iniuriosum. Tertio, mouetur vis executiua exterior, quæ per fortitudinem, vel virtutem significatur, vt etiã actus noster exterior obediat Deo ad operandum bona, cauendum mala, & patiendum iniuriosa ex dilectione diuina.

Diligere
ex tota ani-
ma.

Cantic. 1.

Diligere
ex tota vir-
tute.

Sponsi & sponse collocutio qualis intelligitur, & cur amoris affectu nomine sponsi, & sponse exprimitur.
Cap. XCVI.

Dilectus

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cantico. ij. Nunc breui stylo per-
 stringamus illud dulcissimum epithalamis spiritualium nuptia-
 rum, quia de eo plura tacta sunt in opusculo presenti in diuer-
 sis locis: quorum tamen aliqua repetere non grauabor. Dicit Bernar-
 dus super Cantica: Sponsa locuta est, & dixit sponsum intedere sibi. Ve-
 runtamen si quis horum, quæ dicuntur, cupit adipisci notitiam, amet.
 Amor enim hic ubique loquitur. Alioqui frustra ad audiendum legen-
 dum ve carmen amoris, qui non amat, accedit, cum omnino capere non
 potest ignitum eloquium pectus frigidum. Ita collocutio sponsi & spon-
 se, quia spiritus sunt, oportet spiritualiter intelligi. Nam spiritus est
 verbum, spiritus est & anima: habentque linguas suas, quibus se alte-
 rorum alloquantur, seque presentes indicent. Et verbi quidem lingua
 fauor dignationis eius est: animæ verò deuotionis feruor est. Elinguis
 est anima, quæ hanc non habet, & non potest illi fermocinatio esse cum
 verbo. Ergo cum verbum linguam suam mouet, ad animam loqui vo-
 lens, non potest anima non sentire. *Viuus est enim sermo Dei & efficax,* Hebr. 4.
 & penetrabilior omni gladio accipiti, pertingens usque ad diuisionem ani-
 mæ, & spiritus. Et rursus, cum anima linguam suam mouet, verbum
 multò minus latere poterit: quia nisi ipso stimulante, deuotionis lin-
 gua minimè mouetur ad loquendum. *Dilectus,* inquit, *meus mihi,* sup-
 ple loquitur, & ego illi. Quid ille loquitur, o sponsa dilecti? *Ecce tu*
pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Et quid tu
 illi? *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & docorus. Lectulus noster floridus.*
 Hinc Bernardus: Verbo igitur animæ dicere: *Pulchra es,* & amicam ap-
 pellare, est eidem infundere vnde & amet, & amari se præsumat. Ipsi
 verò verbum, vicissim nominare dilectum, & fateri pulchrum, quod
 amat & amatur sine fictione, & fraude adscribere illi, & mirari digna-
 tionem, & stupere ad gratiam. Itaque verbi locutio, est doni infusio:
 & animæ responsio, est cum gratiarum actione admiratio. Et ideo plus
 anima diligit, eò quòd in diligendo se victam sentit: & ideo plus mi-
 ratur, quòd in dilectione se præuentam agnoscit. Eadem etiam tan-
 git Dominus apud Osee, dicens: *Ablactabo eam,* scilicet fidelem ani-
 mam, ab omni concupiscentia, & passione inordinata, & *ducam eam in*
solitudinem, id est, in abstractione affectus ab omni creato: & *ibi loquar*
ad cor eius. Super quo dicit Albertus Magnus de veris virtutibus, quòd
 locutio Domini in corde est de arduis gratijs menti securitatem præ-
 stare. Cæterum, quia cunctis alijs affectionibus multum præeminet amo-

Epithala-
 mium spi-
 ritualium
 nuptiarum.

Colloquiū
 amantium.

1. m. 1. 7

Hebr. 4.

Cant. 2.

Cant. 4.

Locutio
 Verbi.

Osee 2.

ris affectio in natura donis, praesertim cum ad suum recurrit principium: ideo spiritus amoris hac affectionem exprimere voluit nomine sponsi & sponsae: nec sunt inuenta aequè dulcia nomina, quibus verbi & animae dulces exprimerentur affectus, què admodum sponsus & sponsa: utpote quibus omnia sunt communia, nil proprium, nil à se diuisum habentibus: vna vtriusque hereditas, vna domus, vna mensa, thorius vnus, vna voluntas, & vnus spiritus. Nam si carnale matrimonium duos in vna carne constituit, cur non potius copula spiritualis in vno spiritu duos glutino charitatis adunir? Res miranda, & omni dulcedine complectenda. Iesus Christus in humanitate venire disponens, ut animam ad maiorem prouocaret dilectionem, sponsi more & nomine se repromisit ad futurum; dicente Propheta: *Et ipse iàquam sponsus procedens de thalamo suo*, scilicet vteri virginalis. *Exultauit ut gigas ad currendam viam*, scilicet assumptæ mortalitatis, velut ex aequo se coniungere volens animæ amorosæ, spiransque purissimum, & intensissimū amorem, & à sponsa requirens illius amoris vicissitudinem, qualis amor vigere debet inter spōsum, & sponsam. Dicit enim Gregorius super Cantica, quod Deus cum vult timeri, Dominum se nominat: cum vult honorari, Patrem: cum vult amari, sponsum. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus. Cum se patrem nominat, indicat quod adoptati sumus. Cum se sponsum nominat, indicat quod coniuncti sumus. Quanto quoque dignior est honor, quam timor, tantò plus gaudet Deus pater vocari, quam Dominus: & quanto charior est amor, quam honor, tantò plus gaudet vocari sponsus, quam pater. Sed dicis: Vnde persuaderi potest animæ pauperula, quod eam Deus more, & amore sponsi sibi coniungere velit? cum dignior ille, indignior illa post lapsum esse non potest, & inter vtrosque *magnum chaos firmatum* esse videtur. Nam qui dixerunt, vniuersum esse velut vestigium Creatoris, quodammodo nos intelligere fecerunt, remotissimam distantiam illius ab vniuerso: & dederunt vtriusque occasionem imaginandi magnitudinem eius super vniuersi magnitudinem incomparabiliter eminentem. Breuiter respondeo, quod hoc ei persuaderi potest tam ex beneficijs creationis, quam recreationis. Primò, quantum ad beneficium creationis. Dicit enim Hugo, quod Deus creati spiritum rationalem sola charitate, nulla necessitate, ut eum suæ beatitudinis faceret participem. Et ut aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionem spirituales, palatum quodammodo per hanc illum sensu.

Sponsus Iesus.

Psalm. 18.

Dominus Pater.

Luc. 16.

Beneficium creationis.

sensificans ad gustum internæ dulcedinis, quatenus per ipsam dilecti-
 onem ei infatigabili desiderio inhereret, & inharendo ipsam, quo be-
 atificanda erat, bonum, & ex ipso quodammodo per affectum suge-
 ret, & de ipso per desiderium biberet, & ipsum per gaudium posside-
 ret, quia dicit Philosophus 10. Ethicorum, in contemplatione optimi
 diligibilis, poni ultimam felicitatem hominis. Si ergo, secundum An-
 selmum in Monologion, Deus ex nihilo dedit rationalem essentiam,
 ut amans esset, quid dabit amanti, si amare non cesset? Si tam grande
 est, quod amori famulatur, quam grande est, quod amori recom-
 pensatur? Et si tale est amoris fulcimentum, quale est amoris emolumen-
 tum? Nam si rationalis creatura, quæ sine hoc amore sibi est inutilis, sic
 eminet in omnibus creaturis, utique nihil potest esse primum huius
 amoris, nisi quod supereminet in omnibus creaturis. Etenim id ipsum
 bonum, quod se sic amari exigit, non minus ab amante se desiderari co-
 git. Quid ergo summa bonitas retribuet amanti, & se desideranti, nisi
 se ipsam? Nam quicquid aliud tribuit, non retribuit, quia non compen-
 satur amori, nec consolatur amantem, nec satiat desiderantem. Charita-
 tas est ergo causa efficiens creaturæ rationalis, & participatio diuinæ bo-
 nitatis est causa finalis. Hinc dicit S. Augustinus: O quam stultum est
 amorem tam potentis non concupiscere; & quam impium, tam multum
 amantem non redamare? Dilige ergo illum propter se, dilige te propter
 illum. Dilige illum, ut illo fruaris: dilige te, ut ab illo diligaris. Dilige in do-
 nis illius, quæ tibi data sunt ab illo, illum tibi, & te illi: quia hæc est pu-
 ra, & casta dilectio, nihil habens sordidum, nihil amarum, nihil transi-
 torium. O anima mea mirabilis, & amabilis creatura, quia Deo tuo sin-
 gulariter electa, dic fiducialiter cum Iob Propheta, & ingemina: *Domine,*
quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Iob 7.
 Si enim homines nihil sunt in corde suo, tamè aliquid magni latet de
 eis in corde diuino. O Pater misericordiarum, qui nec decipis, nec deci-
 peris, & tamè erga eos apponis cor tuum? Scio quia *ubi thesaurus tuus, ubi*
et cor tuum. Et si quasi nihil sunt in iudicio veritatis tuæ, tamè aliquid
 Magni sunt in affectu pietatis tuæ. Quid ergo sunt? Vtiq; regnum Dei,
 dicite Domino: *Regnum Dei intra vos est.* Vbi dicit Gregor. Nazian. Lucæ 17.
 Forsthan regnum Dei nobis in seipsum dicit inditum animabus nostris lætiti-
 am per Spiritum sanctum. Ea enim est velut imago, & arrha perennis
 lætitiæ, quæ in futuro seculo Sanctorum animæ gaudebunt. Et Apo-
 stolus dicit, quod hoc *regnum Dei in nobis, est iustitia, pax, et gaudium* Rom. 14.
 Ggg 2 diuum

Rom. 14. *dicum in Spiritu sancto: de quo re: no postea latius videbitur. Est, in qua,*
 1 Cor. 3. *anima sancta templum Dei, & habitatio Altissimi. Templum, inquit*
 Psal. 131. *Apost. Dei sanctum est, quod estis vos. Et elegit eam in habitationem si-*
 Psal. 44. *bi, dicens: Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi*
 1 Ioan. 3. *eam. Est insuper filia Dei, eodem dicente: Audi filia, & vide, & incli-*
na aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & co-
cupiscet rex decorem tuum. Et Iohannes in Canonica sua: Videte qua-
lem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur, & simus. Est de-
ni que sponsa Dei, qua vt sibi in sponsam assumeret, & ad dilectionem
reciprocam incitaret, naturam humanam assumpsit, vt seipsum exi-
nanando, sponsam suam exaltando nobilitaret. Vnde dicit Bernard.
Si non fecit ille, quod sponsus, si non tanquam sponsus amauit, si non
zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere te sponsam arbitrari, o
anima sancta.

Quam eminentissime & fidelissime sponsus intendere dignatus est
sponse, tam in beneficijs creationis, quam recreationis.

Cap. XC VII.

Dilectus meus mihi (scilicet intendit) & ego illi. Videamus nunc
 quomodo sponsus, cui cura seculorum incumbit, sponsae suae sin-
 gulariter intenderit, tam in beneficijs creationis, quam recreati-
 onis, vt non immerito se dilectam sponsam eius esse confidat, & glo-
 rietur, dicens: *Dilectus meus mihi intendit, quia benignus, & misericors*
est. & ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, & ego
illi gratiam pro gratia. Ille meae liberationi, ego illius honori. Ille me e
saluti, ego illius voluntati. Ille mihi amorem verum, tam in benefi-
cij creationis, quam recreationis, & ego illi fidelitatis affectum.

Incl. 2.

Beneficium
creationis.

Anima qd
sit.

Vnde quantum ad beneficium creationis, anima primò facta est
 ad imaginem Dei. Dicit enim Augustinus, lib. de diffinitione animae,
 quòd anima est substantia creata inuisibilis, immortalis, Deo simili-
 ma, nullam habens imaginem nisi Creatoris sui. Vel, anima est vita
 perpetua, per memoriam, intelligentiam, & voluntatem ad imagi-
 nem Dei facta; capax virtutis, & gratiae, vel vitij; susceptiua pe-
 nae, vel praemij arbitrij libera; potentijs, habitibus, & affectionibus
 decorata; carens figura, pondere, & colore; passibilis, & mutabilis, eò
 magna, quò capax aternitatis; eò recta, quò est appetens bonitatis; eò
 beata, quò particeps est diuinitatis, gerens in se naturalem imaginem,
 secun-